

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. ANTONIO LE CAMUS, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii, Academiarum Regiarum Rupellensis & Ambianensis, Catalaunensis Socio, Doctore Medico, Præside.

An fructuum horæorum esus & usus sit salubris?

I.



SOLIS dapibus ex arbore demptis contenti sanam & longam trahebant vitam primi parentes. Tam simplici victu erant adeo feraces, ut totum orbem terrarum robustâ progenie, paucis elapsis sæculis, impleverint. Felix adhuc progenies quæ solis fructibus, frugibus & aquâ contenta, multos erat victura sæculos. Hæc erat verè ætas aurea in quâ homines

cruento belluas non trucidabant enſe, ut menſas fumantibus onerarent carnibus. Jam nulli erant venefici coqui; victus erat ſimplex, unde ſanitas firmior & vita longior. Nonnè quò ſimplicior victus, eò ſalubrior? Ecquis victus ſimplicior, quam uti frugibus & fructibus è terrâ ſponte naſcentibus.

I I.

ILLUD eſt ſalubre quod abſentem revocat, præſentem ſervat, futuram aſſerit ſanitatem; hoc ſalubre ex juſto ſex rerum non naturalium uſu tanquam ex fonte inexhauſto hauritur; hinc rerum non naturalium qualitatem non ſolùm obſerva, ſed & quantitatem pondera; his utere relativè ad ætatem, temperamenta, ſexum, tempeſtatem, & cæteras vitæ conditiones, ſed ita utere ut ſemper ſatis, nunquam verò nimis vel minùs: hæc omnia ſtrictè ſervanda, ſed in alimentorum uſu, delectu animadvertenda præſertim. Alimenta è triplici naturæ ſinu depromuntur. Regnum animale & vegetabile, victum; minerale verò condimentum offert. Damnoſum eſt ſemper veſci carnibus licet eſculentis & per ſe ſalutiferis, ſatius eſſet perpetuò nutriri vegetantibus; verum dum carnibus nutriris, ita fructibus horæis utere, ut regnum animale & vegetabile amico ſocientur fœdere; ſic ſanam & longam protrahes vitam.

I I I.

QUOS fructus ſecundùm quamlibet tempeſtatem fœcunda producit natura hos vocant horæos ſeu tempeſtivos; hi ſub finem veris jam prodeunt, jam purpurâ veſtiuntur fraga, idæi Rubi baccæ, ceraſa, Ribes. Cum imminet æſtas, aut ardet Syrius, matureſcunt mala Armeniaca, & Perſica cujuſcumque ſpeciei, Melopepones, cucumeres, cucurbitæ, &c. quibus ſuccedit ingens prunorum, pyrorum & pomorum turba. Appropinquante autumno, maturantur ficus & mori, mox dulceſcunt mala granata, & racemi vera ſpes vindemiatorum. Intereà ex acinis Rob & ſapa conficiuntur, dum mollis teneriorum fructuum pulpa melle aut ſaccharo conditur; ſic præcavetur hiemis indigentia, dum ex alterâ parte ſimplici apparatu in cellis fructuariis pyra & poma noſtratia, aurantia, citrea, punica aſſervantur, ita ut, dum rigeſcit bruma, omnia pomonæ dona quaſi recentia adhuc decerpere fas ſit. Sentiſ-ne hæc omnia tibi offerri pro tuâ ſalute. Humores qui brumali tempore acres evaſere, tùm calore hypocauſtorum, tùm ſicciori diætâ, edulcorantur ſubacidis fructibus qui manducantur versùs finem maii & curriculum junii. Cum terris æſtas torrida incubat, ſiti arent fauces, bilis inferveſcit, benigno rore defraudatur ſanguis, exſiccantur fibræ, tunc acidulum & aquoſum victum tibi fertiles largiuntur arbores. Si ob intenſos calores, & nimiam ariditatem dura

moratur alvus, emollientia & laxantia tibi frugifer præbet autumnus. Demum fructuum asservatorum thesauros aperi, & secura invenies medicamina adversùs humorum acredinem hibernis ingenitam mensibus.

I V.

HI fructus horæi omnibus salubritatis dotibus gaudent ad amussim, eorum ope lapsam restitues, stantem servabis, futuram afferes sanitatem. Jam nunc omnes evolve causas morborum. Nullæ sunt quæ non oppugnentur aut destruantur fructibus horæis, acria demulcebis emollientibus, putrida debellabis acidis, acida temperabis mucilaginosis, rigida flectes aquosis, laxa stringes acerbis. Si tam felices eventus unico tantùm esu non obtineas, longo saltem usu obtinebis. En amicam, gratam, minimè nocivam quam tibi offert natura medicinam. Jam optimâ sanitate frui fausta tibi dederunt fata, hanc omni ope & operâ servare tenta; quare fructus horæos edere non negligas, laxantia strictum reserabunt ventrem, acido-aquosa urinas movebunt, & scorbuticam labem fugabunt, fragrantia nervos solabunt, austera vim fibrarum tonicam augebunt, aromatica appetitum languentem exsuscitabunt. Inconcussam sic adipisceris sanitatem, & firmum ita statues temperamentum, ut levi quâlibet morborum causâ non titubaverit.

V.

CUR ergo fructuum horæorum usum tam perversè reformidant magnates, & illi qui liberali institutione pueros educare satagunt? Nonne hos venena reputant? An quia rusticorum aut Plebeïorum pueros prunis, nucibus, pyris, aut pomis, jentaculum, prandium, cœnam agunt? Sed videant quàm robusto stent corpore, quàm vividi colores vultum eorum adumbrent, quàm firmo fruantur stomacho, quàm inconcussâ vigeant & viguerint sanitate: *Robustiores difficiliùs in morbum incidunt* (Hippocrates lib. de Alim.) Hæc concedis libenter; nihilominùs objicis pueros à vobis tàm liberaliter educatos, diarrheâ, colicis doloribus, febre etiam corripi statim atque fructibus horæis utuntur. Verùm jamdiu observavit Hippocrates *à multo tempore consueta, etiam si deteriora fuerint, inconsuetis minùs molestare.* (Aphor. 50. Sect. 11.) At ultrò objicies febres diversi generis, ideò æstatis & autumni tempore nasci, quia tunc regnant fructus horæi, quæ febres sunt frequentiores, & longiores, quò feraciores fuere æstas & autumnus. Observa 1°. temporum constitutiones quæ terram feraciorem reddunt, eas esse quæ majorem morborum cohortem producere valent; tunc enim anni sunt calidi & humidi, calor & humiditas putredinem, febres, pestem generant: observa 2°. attendendum esse tùm ad quantitatem tùm

ad qualitatem fructuum horæorum ; horum ufum, non abufum comendamus. *Cibi & potus, nifi tempeftivè exhibeantur, licet commodiffimi morbos generant* (Hipp. lib. de affectibus.) Optimos fructus elige, putrefcentes & verminofos non decerpe, his cum delectu & fobrietate utere. Obferva 3°. multos quandoque morbos epidemicos ceffare cum jam apparent fructus tempeftivi, & illos plerique fapienti deguftant palato : unde concludendum eft.

Ergò fructuum horæorum efus & ufus eft falubris.

Proponebat Parifiis JOSEPHUS COTTON, Gratianopolitanus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus, A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1771.